

MONASTERIUM S. UDALRICI.

279

liaribus distantem sese contraxere, ibique instantis quadragesima dies pa-
ne & aqua solummodo contenti, cum spiritali gaudio deduxere. Op- SECVLVM
 portuno postea tempore, victa vicini presbyteri invidia, quum iam con- XI.
 structum esset coenobium, cunctisque rite dispositis, S. Udalricus, reli- -----
 cto cum fratribus illic coadunatis sæpe nominato Cunone, Cluniacum
 revertitur. Inde postmodum a S. Hugone ad regimen monasterii Pater-
 niacensis in Lausanensi dioecesi, iterumque in Germaniam missus est, pe-
 tente in Brisacensi provincia Hessone glorioso milite, qui in Franc. Pe-
 tri *Suevia ecclesiastica* de Ulmberg dicitur. *Hic divina gratia inspirante,*
prosequitur vitæ scriptor, veræ religionis amator effectus, prædica sua
sanctæ Cluniacensi ecclesiæ delegavit, atque in ipsis divinæ servitutis scho-
lam ad congregandos inibi theoricæ vitæ sectatores construi postulavit.
Susceptis itaque in sua possessione monachis, quum habitatio monastico pro-
posito minus idonea videretur, aliorsum vertit religiosam intentionem men-
tis. Locus igitur quidam in eadem regione situs, qui etymologiam sui
nominis ex adiacentium camporum silvarumque virenti amœnitate osten-
dens Gruningen dicitur, legitimo concambio factò cum duce Bertholdo,
cuius ditioni subiacebat, studio & industria clarissimi viri Hessonis mo-
nachorum iuris efficitur: qui, quomodo regulari custodia aliquantulum ap-
tior videbatur, constructis mansionibus monachi illuc sunt translati, nec
ibi, ut postea clarebit, stabiliter mansuri. In charta Henrici IV. Imp.
 de anno 1072. Hessoni data, quæ legitur in Andr. Quercetani *Biblio-*
theca Cluniacensi, locus primæ habitationis *Rimesingun* vel *Rimesingun* di- p. 526.
 citur, nomine parum a *Rumelingen* sive *Limlingen* abeunte, R littera
 loco L. ut faciendum videtur, substituta. Cuius quidem adpellationis
 duplex est locus, haud procul a Gruningen, superior inferiorque vicus,
 Ober-Rimlingen & Nider-Rimlingen vulgo dictus.

Quamvis autem Cluniacensibus traditus sit idem locus atque etiam ab
 imperatore confirmatus, haud tamen *illic collocati sunt Cluniacenses, sed*
in alia loco, Gruningen scilicet, ut asserit M. abillonius, ubi tamen haud Annal. T. V.
 diu subsisterint, sed ad locum *Cellam* dictum eodem Udalrico agente po- p. 53.
 stea translati sint monachi. Displicuit siquidem S. Udalrico vel ipsa lo-
 ci amœnitas atque secularium hominum frequentia, præter alia quieti mo-
 nasticæ haud quaquam convenientia. *Quæ omnia, ut habet vitæ auctor,* Mabil. acta
vir altioris ingenii sollicitè perpendens plurimum obsistere spiritali pro- SS. sec. VI.
fessione, filios adoptionis, quos a carnalium hominum vita & moribus ali- P. II. p. 796.
enos voluit existere, etiam loco ab illorum visu & auditu satagebat segre-
gare. Cuius rei curu diversos anfractus eremi Brisacensi pago adiacentis perlu-
strans,